



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Litigiosus duplex peccatum incurrere potest.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41716**

res importantiæ, paratus tamen ad secretum: si casu  
ibi inuenitur aliquid secreto tenendum, peccat qui-  
dem, sed venialiter tantum: quia nec per se facit iniu-  
stum, nec per accidens reddit iniustum materialiter  
in naturam forinalis iniustitiæ: quia nulum est pe-  
riculum nocuenti. Tertium est, quod autoritate  
publica ex causa rationabili aperit huiusmodi literas,  
non est iniustum, quamuis fiat inuito domino: quia  
res publica ius habet prouidendi sibi opportunè: ad  
prouidendam autem cautelam publici boni spectat  
tempore belli vigilare super insidiis prodicionibus, &  
tractatibus, &c. quæ per literas possent significari. Et  
idcirco excusantur aperientes huiusmodi literas, de  
mandato publico ex causa belli, aut alia rationabili  
causa. Et sibi ipsi imputet extraneus vel dominus Ec-  
clesiasticus, aut secularis qui mittit literas, si displicet  
factum: scire enim debet quod nulli iniuriam facit  
qui vitur iure suo. Et hac eadem ratione (quia scili-  
cet vitur iure suo) maritus aperit literas vxoris, sed  
ad vxorem & pater filiorum, & Prælati religiosorum  
sum, & sic de similibus.

*Litigiosus duplex peccatum  
incurrere potest.*

**L**itigium duo significat peccata. Alterum, quod  
vocatur contentio, qua quis contra veritatem ex  
proposito litigat de qua superius dictum est. Alte-  
rum, quod proprium nomen non habet, quo homo  
in conuersatione humana omnibus opponit verbo  
vel motu aliquo: ac per hoc molestam habet conuer-  
sationem: utpote tristitiam ingerens his cum quibus  
conuersatur. Est autem peccatum hoc contrarium  
affabilitati: qua homo conuersatur cum omnibus de-  
lectabiliter ut decet. Et potest hoc peccatum incurrere  
dupliciter. Vel formaliter hoc est ex intentione con-  
tristandi

tristandi hominem contradicendo. Vel materialiter, hoc est absque huiusmodi intentione. Et utroque modo est peccatum: quia contra rectam rationem exigentem hominem debere conuertari delectabiliter ut decet. Et communiter est peccatum veniale, propter paruitatem nocimenti intenti seu subsequenti: nam huiusmodi tristitia minimum quid est. Si tamē intenderet aliquis confundere hominem, aut contempribilem reddere per huiusmodi contradiciones, esset peccatum mortale propter notabile proximi nocimentum.

*Litigans iudicialiter pro temporalibus quadrupliciter peccare potest.*

**L**itigare in iudicio pro temporalibus rebus sibi iniuste dicitur, ut quotidie fit, peccatum est quadrupliciter. Primo ex irrationabili causa: puta si ex cupiditate seu auaritia aut pertinacia quadam vel opprimendi aut molestandi causa litigatur. Secundo, ex modo personali si contentione & quasi inimicè, non colloquendo &c. litigatur. Tertio, ex modo iudiciali: si fraudulentè, si peruersè producendo, probando prorogando, &c. litigatur. Quarto ex scandalo pusillorum, ut contingit quando frater contra fratrem, aut religiosi contra laicos grauatos filiis & filiabus, seu alijs indigentes, &c. quibus deberent donare, litigant. Deberent enim præpositi proponere capitulo, & cum capituli consilio blanda charitate aut donare, aut differre in pinguiorem fortunam (hæc enim est vera fides boni dispensatoris rerum Christi) & non scandalizare mundum litibus, quasi suffocando debitorem (redde quod debes) prætexu Ecclesiæ, quasi Christus non habeat unde aliunde cultores suos pascat.

*Ludus dupliciter consideratur.*

Ludere